



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de  
Coloniæ Agrippinæ, 1602

De humilitate. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

LIBER V.  
DE HUMILITATE  
CAPVT III.

559

**M**irum sanè est, quàm ardentè  
ac cupidè Ignatius humilita-  
tatem, ab ipso suæ conuersio-  
nis initio, tanquam virtutum omnium  
matrem ac fundamentum complexus  
sit. Itaq; vilissimo habitu ac seminudus  
incedebat, & tanquam mendicus cum  
mèdicis hospitabatur: ignotus, abiectus,  
còtempus viuebat: lucem, honorem,  
hominumq; æstimationem fugiebat:  
laceffitus iniurijs, calumnijs oppugna-  
tus, carcere & catenis pro Christo ve-  
xatus, incredibili lætitia replebatur, vt  
tota eius in vita videre est. Cui sanè vi-  
tæ, doctrina etiam illius de humilitatis  
virtute, omni ex parte respondet.

Summa spectantibus ab imis cense-  
bat incipiendum, ne alta saperent, sed *Rom. 12.*  
humilibus consentirent. Itaque quos  
aliquò primùm mittebat ad vineam  
Domini, suis laboribus excolendam,  
eos sic instituebat, vt humilitate ac  
contemptione sui, viam sibi ad ardua  
atque excelsa munirent: quòd tum de-  
mum reliquum ædificium stare posse  
diceret, si humilitatis esset fundamen-  
to constitutum.

Aa 5

Sic

Sic Franciscum Xauier, & Simonem mittens in Lusitaniam, monuit vt ostiatim mendicarent, perque contemptiōnem ac despicientiam sui, aditum sibi ad fructum animarum, & Dei gloriam patefacerent. Alfonso Salmeronem, Paschasiumque Broetū in Hyberniam proficiscentes, vt Sedis Apostolicæ nomine, Nuntiorum personam sustinerent; vt dictum est, pueros erudire, & Christianæ vitæ documentatūtib; populis tradere iussit. Et Iacobum Lainem atque eundem Salmeronem à Paulo I I I. Pont. Max. ad Concilium Tridentinum destinatos, vt sententias suas in theatro illo orbis terrarum grauissimo atque eruditissimo dicerent, ita instituit, ac commonefecit Ignatius, vt initio xenodochia obirent, miseris hominibus agrotantibus interuissent, egenorum haberent curā, pueros Christianis institutis prius imbuerent, & tum demum vocati iussique maiora capesserent, & ad sententias dicendas aggredierentur. Quod ita vt iussit, factum est, & tam felici quam scimus successu.

Paupertatem, matrem nostram vocabat: ignominiosumq; affirmabat esse atque indignum, si religiosi homines

*lib. 3. c. 4.*

nes aut pecuniosi essent, aut haberentur.

Illud Dei misericordia est consecutus, ut per multos annos antequam è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit. Immo verò usque ad eò erat diuina luce perfusus, sui que perfectè cognitor atque contemptor, ut nullum te vitium diceret: min<sup>9</sup> extimescere, quàm vanitatis & gloriæ inanis: quæ ex ignorantia plerunque, & cæco amore sui ortum habet, & vel cedros ipsas libani solet euertere.

Obseruauit aliquoties ego illum, cùm de propagatione Societatis, vel fructu, in sermone familiari mentio incidisset, vel de alia re quacunque, quæ cùm virtute illius, ac laude implicata videretur, colligentem statim se, obortisque lacrymis pudore quodam suffundit.

Cùm P. Laines à quodam ex nostris audiuisset, in tutelam Ignatiû Archangelo à Deo datum: ipsum & Patrem, verine esset, familiariter interrogauit: à quo verbis responsû nullû accepit, sed vult<sup>9</sup> mutatione, ac rubore oris. Sic n. est verecundat<sup>9</sup> (vi verbis Laines vtar) sic expauit, ut virgo solet castissima, à viris sola deprehensa. Idèq; sepe accidit, ut de-

ijs rogatus, quæ cum eius laude contrita essent, non aliter quam verecundia silentioque responderet.

Illum dicentem audiui, domesticos omnes, exemplo sibi ad virtutem, atque incitamento esse, neque quenquam præter se vnum, sibi displicere.

Mihi aliquando dixit, illud sibi à Deo pendum esse, ut eius ipsius mortui cadaver volucris & feris laniandum abijceretur. Nam cum ego, inquit, sterquilinum & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam?

Vbi perspicua res non esset, atque evidens, facile aliorum iudicium sequebatur, & se, cum superior esset, inferioribus exæquabat.

Ludibrio omnibus se cupiebat esse: etsi animo indulgere suo voluisset, nudus, despiciatur, & oppletus sordibus, ut infans haberetur, per vicus ambulasset. Sed hunc humilitatis affectum, proximorum utilitas reprimebat, & charitas: cui ut fructuosius deferiret, auctoritatis etiam suæ, ac personæ rationem habuit.

De rebus suis raro loquebatur, idque magna aliqua causa excitatus: vel ad sanandos eorum animos, & moro-  
re li-

re liberandos, qui ab ipso consilium peterent, ac medicinam: vel ad acuedos socios, & aduersus omnes difficultates suo exemplo confirmandos, idque parè, & nascentis Societatis initio: qua iam constituta, mira taciturnitate sua omnia contexit.

Sed eius humilitas cum in multis alijs se ostendit, quæ narrata à nobis sunt, tum maximè in illa honoris fuga elucet, & dignitatis recusatione, quam summa omnium consensione electus, ne vel Præpositus Generalis esset, adhibuit, vel cum iam esset, ut honorem deponeret. Quod certè eo admirabilius est, quod Ignatius tam grauitè & asseueranter se ex animo, & coram Deo, non esse idoneum ad regendum alios, testatus est, longissimèque ab ijs virtutibus abesse, quæ in eo, qui cæteris præsit, necessariæ sunt. Cum tamen constet, omnibus virtutibus ita illum fuisse cumulatum, ut qui ad alios gubernandos accesserint, cum ijs præclare agatur, si sint eas virtutes, quas ille, consecuti.

Et quoniam Obedientia, Humilitatis filia est, & custos religiosarum omnium, ac Regina virtutum, illique Ignatius in Societate primas deferrebat,

bat, vt arbitror, non erit inutile, quid de Obedientia ille senserit, hoc loco exponere.

DE OBEDIENTIA QUID  
senserit.

## CAPVT IV.

**P**erfectæ obedientiæ Ignatii haud multa sanè habemus exēpla: neque enim obtemperare alijs Societatis Præpositis poterat, qui Societatis ipsius autor, & quoad vixit, primus Præpositus Generalis fuit. Illa tamen aperitè ostendunt, quàm excellenter omnes obedientiæ expleisset numeros Ignatius, si aliorum subditus fuisset imperio. Paruit cōfessario suo semper in rebus grauissimis. Dedit operam, quantum salua conscientia potuit, vt munus Præpositi Generalis aut non susciperet: aut susceptum deponeret. Summo Pontifici obsequentissimum semper se præbuit, & in rebus arduis ac periculi plenissimis itidem se præbuisse. Admirabilem nobis de obedientiæ virtute atque præstantia doctrinam reliquit. Denique multis argumentis docuit, hanc præclarissimam virtutem maximè sibi cordi esse, & intimis.